

De Jnsula angaman :—

Angaman est quedam Jnsula ualde magna Et non habent regem. cuius gentes adorant ydola. & sunt tanquam bestie siluestres. Et uobis de quadam gentis manerie narabimus de qua bene dicendum est noueritis itaque qui omnes homines istius Jnsule habent capud simile capiti canum & oculos & dentes. sunt gentes crudeles & omnes homines quos capere posunt comedunt dum modo non sint de gente sua. habent habundantiam omnium specierum uictualia eorum sunt de riso lacte & de omnibus maneriebus carniū habent nuces pharaonis poma paradisi & multos alios fructus diuersos a nostris. Et ista insula est in tam curenti mari & tam profundo quod naues ancorare non posunt nec inde nauigare quia ducit naues in quemdam gulfum/ de quo nunquam ualent exire Et hoc ideo 66v° est quia mare illud ex feritate sua totam teram corodit| & arbores cum radicibus cauat & euertit. & post modum ducit in gulfum. & in istum gulfum sunt semper tot arbores adducte que nunquam egrediuntur abinde quod mirabile est Et ideo naues que intrant in gulfum taliter in illis arboribus inuoluuntur quod non possunt de loco moueri & sic semper ibi permanent :—

/de Jnsula seylan :—

Quando discedendo ab insula angaman itum est circa mille miliaria per ponentem aliquantulum tamen minus uersus syrocom. Inuenitur insula seylan. que uere est melior insula que reperiatur in mundo/ de continentia sua. girat enim per dua milia miliarium & quadrigenta. Et antiquitus erat maior. quia girabat circumcirca bene tribus milibus miliaribus & sexcentis. secundum quod inuenitur in mappa mundi marinariorum illius maris. set uentus tramontane tam impetuose ibi spirat. quod magnam partem insule submersit in aquam. Et hec est causa quare ad presens tam magna non est sicut iam pro tempore fuit. Jsta insula habet regem qui uocatur Sendernam. ipsius gentes adorant ydola. & nulli redunt tributum. homines & mulieres semper manent nudi./excepto quod eorum coperiunt naturam non habent segetes nisi risum & suximani de quo oleum faciunt. uiuunt de lacte riso & carnibus habent uinum 67r° de arboribus superius nominatis habundantiam| habent de meliori berçi qui ualeat inueniri. In hac insula nascuntur boni & nobiles rubinj. & in nulo alio loco mundi nascuntur. nascuntur etiam ibi çafini. topation amatiste. granate. & multi alij lapides preciosi & bonj. Et rex istius insule habet pulcriorem rubinum qui reperiatur in mundo neque qui unquam uisus fuisset Et declarabimus qualiter factus est. E[s]t quidem longus uno palmo & grosus ut brachium hominis splendidissima res est. nullam maculam in se habet. & est rubeus ut est ignis. & est tanti ualoris quod uix posset pro pecunia compararari. Et magnus [can] isti regi transmisit ut si sibi uellet hunc rubinum consentire. ei ualorem unius ciuitatis impe[n]deret.